

† R. P. Iosephus (Alfonsus) Zartmann (1877-1933)

(*Vice-Prov. Germanicae-Brasilianae*)

Die 20 Aprilis 1933 Apparecidae mortuus est «Pater Alfonsus», ut passim vocabatur, missionarius haud communis ac latissime per Brasiliam notus et amatus, de quo valet illud poetae Romani:


*Multis ille bonis flebilis occidit.*

Iosephus Zartmann d. 28 Oct. 1877 natus est in amoeno oppidulo Wirttembergiae Neckarsulm, in sinu familiae admodum piae. Qui eius in religione confratres fuerunt, probe sciunt, quam vivam servarit memoriam laetae iuventutis in domo paterna transactae. Quoties etiam in sacro suggestu de dulcissima et sancta genitrice sua loquebatur!

Non sine peculiari Dei providentia Iosephus mature in iuvenatum Provinciae Germaniae Sup. venit, tum extra patriae fines in Dürrnberg prope Salisburgum constitutum. Ibi puer praeclaro ingenio praeditus necnon

quadam morum nobilitate insignitus pariter et Superiorum et commilitonum aestimationem sibi conciliavit. In iuvenatu et deinceps in novitiatu studentatuque id unum intendebat, ut genuinus alumnus Congregationis SS. Redemptoris fieret; sed cum excelsa semper prosequeretur atque ad summa aspiraret, interdum obvia vitae practicae negligebat.

Die 28 Sept. 1902 libens obsecundavit voci Superiorum eum in Brasiliam navigare iubenti, ut ibi salutis nuntius esset. Prius vero ei studia theologica erant absolvenda, et mense Octobri 1903 in Santuario Apparecidano sacerdotales primitias laetus Deo obtulit. Deinceps «Pater Alfonsus» — ita in Brasilia eum appellabant — omni studio linguae lusitanae se dabat addiscendae. Soli illi, qui idem experti sunt, nempe qui exactis iam in schola viginti annis denuo ab elementis novae linguae incipere coguntur, ut sacerdotale munus in terra alienigena cum



fructu exercere valeant, confratris nostri sacrificia comprehendunt. « Nunc omnia scimus (interdum neosacerdos dicebat) quae collegae nostri in Europa, at nihil scimus hic in Brasilia ». Difficultas haec ipsi praeterea ceteris gravis ac molesta; nam affectus suos exuberantes patria quidem lingua facillime ac mira facundia exprimebat, sed in lusitanæ linguae usu usque ad vitae exitum tantam facilitatem non est assecutus.

Vera et propria Patris Alfonsi vocatio erat haec: missionarium populi esse. Nil aliud appetebat. Hinc explicatur illa mutatio interna externaque, quae in iuvene sacerdote notabatur. Cum anteas esset moribus potius aristocraticis, quondam, per terras Status Goyaz equitans, clare intellexit se omnibus omnia fieri debere. Ita formatus est ille *Padre Affonso*, in Brasilia latissime notus: simplex, affabilis, pauperum plebeiorumque pater et apostolus, amicus omnium quacumque miseria afflictorum, simul tamen a nobilibus quoque cultisque apprime quaesitus.

Erat missionarius sui generis et valde originalis, ut dicitur. Primis sacerdotii annis, ut ad missiones quam optime se praepararet, montes chartaceos accumulabat; at cum in exercitiis spiritualibus eiusdem anni sibi visum esset has contiones scriptas nil valere, in horto domus Penha — horribile dictu! — rogum accendit, omnes sermones suos scriptos flammis committens. Confratres stupere, ipse vero ridere ac declarare: « Redemptorista, qui cotidie trinas meditationes instituit, profecto capax sit necesse est coram aliis de veritatibus fidei disserendi ». Exinde igitur ad populum dicebat potius ex plenitudine contemplationis, modo egregie, modo minus bene, modo animo inflammato ac stilo vere oratorio, modo dictione simplicissima et humillima, quam nemo referre auderet. Populo autem Pater Alfonsus semper et ubique plene probabatur, et penes plebem singularis prorsus erat eius auctoritas. *Ipse dixit!* Nihil aliud opus erat. Vox eius mirifice sonora, aurium permulcens. Habitus corporis in suggestu tum sublimis, tum admodum, immo forte nimium simplex, prout ipse erat eo momento affectus. Semper paratus erat ad contionandum, sed quae repentinae cogitationes ei dicenti obventurae essent, nemo, ne ipse quidem, praevidere poterat. Quondam in *Braz*, quae est urbs Status S. Pauli, orationem habens de inferno, singulari sua vi imaginationis poenas damnatorum graphicè describebat. Extemplo sermonem abrumpit et post moram prosequitur: « Sed vobis, carissimi, haec nihil valet. Potius in caelum ascendamus! » Et sic subito ad pingendas paradisi delicias transiit. Describi autem nequit, quantopere audientes hoc missionali sermone, sane haud communi, fuerint commoti.

Sed de contionatore satis diximus. In sacro tribunali Pater Alfonsus nil nisi caritas et misericordia erat. Solus Deus eius principia moralia plane neverat; etenim eius erga animas amor et immensa in Dei misericordiam fiducia identidem suggerebant casuum solutiones, quae frustra

in libris theologiae moralis quaeruntur. E casibus vel maxime intricatis ipse exitum aliquem reperiebat, quare eius coapostoli certis poenitentibus suadebant: « Ite ad Patrem Alfonsum! » Patientia huius confessarii erat heroica. Olim accidit, ut cuiusdam Itali confessionem generalem exciperet ab hora 11 noctis ad h. 3, et cum interim ecclesia occlusa esset, ambo in aliquo scamno brevem quietem carpserunt. Pro poenitentia sacramentali haud raro iubebat crucem suam missionalem extenso brachio gestare, id quod interdum per medium horam et amplius erat faciendum, cum nempe confessarius subito avocatus erat. Tamen haec poenitentia admirationem excitans et molestissima etiam a viris et feminis valde nobilibus libenter suscipiebatur, modo apud Patrem Alfonsum confiteri eis liceret; et verbis *Ego te absolvo...* ab hoc Servo Dei tanta fide et gravitate prolatis, amplius inter Brasilianos non erat qui de efficacia confessionis peractae dubitaret.

P. Alfonsus, qui ipse iuxta Christi praeceptum (*Marc. 10, 15*) regnum Dei *velut parvulus* receperat, parvulorum commercio permultum delectabatur et tam hilaris inter ipsos erat quam qui maxime. *Simile simili gaudet!* In quadam missione confrater magis serius, eum reprehendens, ait tantam hilaritatem esse veram comoediam. Ipse autem prompte respondit: « Est quoque, Pater carissime, *Divina Comedia!* »

Patris Alfonsi zelus in magnis missionibus urbanis tum luculentissime apparebat, cum singulas domos et domunculas invisebat. Primum adibat aegrotantes senesque in domibus privatis, eis apportans solacia et gratiam absolutionis et denique, sollemni pompa, panem eucharisticum. Mox asyla, nosocomia, carceres visitabat. Interim iam audierat in hac illave domo habitare virum vel mulierem a vita christiana abalienatos; propterea eo quoque gressus dirigebat, nulli parcens labori. Quanta in his suis « missionibus domesticis » expertus est! Nunquam vero fama eius sacerdotalis vel paululum est maculata.

Amor Patris Alfonsi in pauperes in proverbium abiit, et licet saepe indigni eo abuterentur, ipse tamen a benefaciendo retineri non poterat. Annis 1909–1912 fuit Rector domus *Penha*, et nemo unquam ipso studiosius observavit illam constitutionem Rectoris localis (n. 1056): « Pauperes ut pupillam oculi diligit; ipsorum necessitatibus prospiciat, et quantum potest, animo benigno ac tenero adiuvet ». Ecce venit aliquis mendicus, petens quinque *milreis*. Mendico obstupefacto P. Rector: « Amice », inquit, « quinque *milreis* parum est; equidem tibi duplum do! » *Bombax!* Nulla notitia celerius diffunditur. Undique pauperes, veri et falsi, ad Ligonianam domum confluunt, nec quisquam vacuus recedit. Nil mirum in fine triennii magnam partem bonorum domus et ipsa Missarum stipendia et pecuniam mutuatam evanuisse. Haec omnia in caelestes thesauros manus pauperum deportaverant, ita tamen, ut collegio Penha centuplum benedictionis cae-

lestis apportarent. Excepto hoc triennio P. Alfonsus semper simplex erat subditus (et semel Praefectus II novitiatus). Ut subditus cum Superioris venia diligenter stipem colligebat, ut haberet, quod dilectis suis pauperibus distribueret. Haud semel vero accidit, ut oblivisceretur pecuniam, quam in sacculo portabat, certo itineri faciendo destinatam esse, et ita eam in via ad stationem alicui mendicanti dedit. At amicos habebat in numeros, a quibus facilis negotio necessaria recipiebat, praesertim cum infima vehicularum classe contentus esset. Ut datis eleemosynis, ita pariter P. Alfonsus famosus erat ob marsupia in itinere amissa. Tunc autem prompte occurrebat solacium, certissime pecuniam inventam esse ab aliquo paupere, cui secus eam dare non potuisset!

Etiam Patris Alfonsi anima interdum tristis erat; tamen externe semper se monstrabat hilarem aliosque exhilarabat. Humilitate grandi, immo heroica supportabat, et domi et foris, quaecumque eius honori adversabantur, nam non frustra erat imbutus fide adeo viva, spe paradisi mire firma ardentique erga Iesum amore.

Homines, qui se diabolicis infestationibus vexatos esse existimabant, undique, etiam ex dissitis regionibus, ad Patrem Alfonsum confugiebant, qui miseros minime repellebat, sed permultum orabat et sudabat in demonibus expellendis. Facta mira narrantur. Ut decet sacerdotem, plurimi faciebat Ecclesiae sacramenta et sacramentalia, quamquam etiam in caeremoniis adhibendis manebat ipsissimus *Padre Affonso*, sicut item, cum in missionibus publice ex imo corde suo et ex corde populi orabat, velut: «Contentus sum, mi Iesu, quod nunc in ecclesia sedere nequeo et quod tamdiu mihi standum est. Omnia ex amore tui!» Et totum auditorium cum sollemni gravitate talia verba repetebat. Similiter, orans cum populo pro variis necessitatibus hominumque generibus, etiam *Pater* et *Ave* recitare solebat pro homuncione, qui ante templum aliorum calceos detergebat; ita nullius oblitiviscebatur! Alia multa enumerari possunt, quae huius missionarii «originalitatem» comprobant; sed ne longiores simus, huius vitae sanctum finem enarremus.

P. Zartmann, postquam in variis Vice-Provinciae domibus laboravit *ut bonus miles Christi Iesu*, Araraquarae inter contionandum apoplexia correptus est. Venit igitur Apparecidam, quia in umbra celeberrimi illius Sanctuarii Mariani mori et quiescere cupiebat, atque ibi ultimos vitae menses transegit. Cotidie Missam celebrabat, usque ad paucos ante obitum dies, immo et confessiones excipiebat. Interdiu ab oratione animum et os non relaxabat, intermicens, usque ad pervigilium mortis, pia cantica, quorum innumera in memoria conservabat. Semper sperabat fore ut S. P. N. Alfonsus ipsi sanitatem restitueret ad apostolicam operam continuandam, verum a Deo aliter constitutum erat. Die mortis (20 Aprilis) mane in sacello domus pie corpus Domini recepit. Postea more suo ama-

bili confratres in cellis visitavit, tum cubitum ivit. Audito amicum sibi carissimum, Episcopum S. Caroli de Pinhal, advenisse, eum rogavit ad se et diu cum eo collocutus est. Vix Eximus Episcopus exiit, cum dilectus confrater nova paralysi correptus est, verisimiliter ob nimium de adventu amici gaudium. Recepit igitur extremam unctionem, et post horam inter preces communitatis animam efflavit. Ad funus ingens fidelium multitudo concurrit. Acervus epistolarum ab Episcopis, presbyteris, laicis scriptarum ad dolorem suum de hac morte declarandum clare demonstrat, quantopere omnes bonum P. Alfonsum amaverint. Permulti sacerdotes etiam Missae sacrificium pro pia anima obtulerunt. Imagunculae in defuncti confratris memoriam numero sufficienti vix confici poterant, et nunc cogitatur de vita brevi huius insignis missionarii popularis evulganda. R. I. P.